






Disputatio medica inauguralis de dyspepsia

<https://hdl.handle.net/1874/343316>







1602.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSPEPSIA.

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
QUAM

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, ac Nobilissima
Facultatis MEDICÆ Decreto,

PROGRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis, ritè
& legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

JOANNES BEKESTEYN, HAG.-BAT.

Ad diem 23. Martii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiz
Typographi, clc xcii.



VIR O *Expertissimo*,

D. CORNELIO BEKESTEYN,

Chirurgo apud Hagenses felicissimo, Parenti ætatèm pro-
sequendo, venerando.

V I R I S

*Consultissimis, Gravissimis, Specatissimis, Reipublicæ
Lugduno-Batavæ Consulibus Amplissimis.*

D. D. DANIELI van ALPHEN, J. U. D. PRAESIDI.
D. D. JACOBO vander MAE S, PRAETORI.
D. D. JOANNI van VESANEVELT, J. U. D.
D. D. CONRADO RUY SCH, J. U. D.
Mœcenatibus meis & Fautoribus, ad rogum usque fu-
spiciendis.

Viro Consultissimo, Gravissimo, Amplissimo.

D. D. SIMONI VAN BEAUMONT, J. U. D. & Ordinum
HOLLANDIÆ ac WEST-FRIISIÆ SECRETARI
O fidelissimo, specatissimo.

Viro Consultissimo, & Gravissimo.

D. D. JOACHIMO RAVENS, J. U. D.
Urbis Lugduno-Batavæ Syndico specatissimo.

D E N I Q U E

Amplissimo & Consultissimo Viro.

D. D. JOANNI VAN GROENENDYCK, J. U. D.
Consulibus Reipub. Leyd. à Secretis.

*Tantis viris suspiciendis se
totum & hasce Theses
vovet*

*JOANNES BEKESTEYN,
AUCT. & RESP.*

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSPEPSIA.

THEISIS I.



Uo titulo, quove nomine naturalis ventriculi functio venit insignienda, tot sunt Medicorum sensus, quot capita: alii enim eam dixerunt chylificationem, alii ciborum concoctionem, alii fermentationem, & alii digestionem, dissolutionem, extractionem, &c. Nos autem denominationes hasce omnes, ut certo respectu veras admittimus cor-
datè, quoniam rigor dogmatum solummodò oppositionem, & dein altercationes quæstionesque inducit; & quemadmo-
dum corpora naturalia, dum valent integra, corrupti-
puntur saepius & abeunt in vermes, eodem modo, fana ac solida rerum
cognitio saepenumero putrescit, & solvitur in subtile, vanas,
infalubres, & (si ita loqui licet) vermiculatas quæstiones, quæ
motu quodam & vivacitate nonnulla præditæ videntur, sed
putidæ sunt & nullius usus.

II.

Misla ergo de Onomatologia contentionis ferrâ, simplicis-
imo modo, sed breviter, ea proponemus, quæ ad functio-
nem ventriculi naturalem manifestandam & sustentandam
concurrunt, ut eandem labascentem, labefactatam vel aboli-
tam eò clarissimam imposterum intelligamus, corrigamus, imo
& præcaveamus, sub generali titulo dyspepsiae, ut difficilis
concoctionis, cuius gradus minor est bradypepsia, ut tarda
concoctio: major autem Apepsia, tanquam coctio nulla aut
cessans.

A 2

III. Ci-

4 DISPUTATIO MEDICA

III.

Cibus & potus hominum , tām in genere , quām in spe-
cie , multiplex est ac diversus , adeoq̄e maximē compositus :
videmus nempe herbas & plantas ex terra & aqua nutriti ;
animalia ex herbis & fructibus ; hominem verō ex carnibus
ipsorum animalium (quadrupedum , avium , piscium) etiam
ex herbis , granis , fructibus , succis & liquoribus variis , non
sine multiplici commixtione , conditū & p̄paratione ho-
rum corporum , priusquam homini sint in cibum .

I V.

Duriora dentibus franguntur , comminuuntur & teruntur ,
dūm sapore rerum & voluntate mentis , spiritus animales ce-
lerius & vehementius solitō inter fibrillas musculorum utrius-
que maxillæ influunt , s̄eriemque dentium inferiorem ma-
xillæ mobilis cum superiore collidunt , undē non solum faci-
lius deglutiiri , verū etiam ulteriū dividi possunt : plus enim
habent superficii , pro ratione molis , & occurunt aliis cor-
poribus secundūm superficiem , dividuntur verō secundūm
molem , juxta Cartes. part. III. princ. §. L.

V.

Omnia lymphā salivali (à sanguine arterioso secreto & sp̄i-
ritibus animalibus nobilitato) irrigantur & perluntur , dūm
eodem in actū comprimuntur : rivulos enim copiosissimos in
cavitatem oris hiantes , à celeberrimis Anatomicis Wharto-
no , Stenone , Bartholino (an Rivino ?) & Nuckio inventos ,
cūm habeant , liquorem diversissimis particulis , pr̄fertim
salinis , acidis , aquosis , scatentem (salivam dictum) copio-
sūs transmittunt versūs loca minus resistentia .

VI.

Immiscetur alimentis inter manducandum magna aëris co-
pia , pr̄ter aliam illam in poris assumptorum contentam :
Ejus ergō particulae potiores cūm sint salino-nitrose , figuræ
conicæ , adeoque vī magnā elasticā pr̄editæ , fluiditati con-
ciliandæ symbolum conferunt egregium .

VII. In

INAUGURALIS. 5

VII.

In Ventriculum depluit salino-acido-aquosus-spirituosus (in diversis hominibus diversimodè determinatus) humor, dum & lege circulationis & pressione alimentorum assimilatorum, secundùm ductus glandularum ventriculi innumerabilium, nervosorumque villorum illàc hiantium vivaciter propellitur: ille ergo portione inter plicaturas ventriculi residuā, & fermenti naturam habente, commixtus, assumptus que permixtus, an appetitui, ingestorum divisioni & fermentationi inserviat, nec nè, judicet is, qui caput non habet (ut loquitur Apulejus) cucurbitæ.

VIII.

Stipatum monstrat Anatomica inspectio ventriculum visceribus diversis, nominatim hepate à dextra parte, liene à sinistra, omento & intestinis ab anteriore, pancreate à posteriore, &c. ex quorum viscerum poris determinata effluvia in cavitatem ventriculi transmitti subtilia, adeoque in celerimo motu constituta, divisioni alimentorum succurrere, demonstrari potest apodictice.

IX.

Orificio ventriculi superiori annexum diaphragma, motu suo, dum respiratio peragit, reciproco, ad pororum immutationem, adeoque laterum disputationem, item ad permixtionem omnium ventriculo contentorum, eorumque egestionem, plurimum contribuere nemo negat.

X.

Textus ergò magni Hippocratis lib. de flat. §. 5. si addatur, inquiens, omne quod inter cœlum & terram spiritu repletum est, aut si conferantur demonstrationes sagacissimi Cartesii in part. IIII. princ. de productione materiae subtilis, facilimè intelligemus quid intra ventriculum contingat; nempe, spiritus Hippocratis, aut (si mavis) æther Cartesii, vivacissimè per lineam (quantum fieri potest) rectam motus, & viam per poros corporum diversissimos liberam quærens,

A 3

sed

6 DISPUTATIO MEDICA

sed non inveniens, quasvis massæ, ventriculo contentæ, particulas, premit, impellit & volvit; quâ actione, dūm pori quoad magnitudinem & figuram magis adhuc immutantur, particulae tertii elementi sive crassiores, in consensum motus rectilinei ætheris abreptæ, latera pororum diffingunt & discerpunt, usquedūm liberiorem æther nactus fuerit per poros istos transitum, tuncque subtiliores salinæ, acidæ, oleofæ & aquosæ, innumerabilesque aliæ, sibi mutuò placidè irretitæ, & permixtæ, describunt corpus illud fluidum albicans, chylum nuncupatum, intra ventriculum quidem haud conspicuum, propter crassiores foeces admixtas, sed, versùs angustiores intelixinorum fistulas delatum, ex gremio foecum magis expellitur & ad oculum cernitur. Jam demùm judicio Lectorum committimus an ventriculi functio (ut in §. 1. dictum) dicenda sit concoctio, an verò chylificatio, fermentatio, digestio, dissolutio, extractio? Scopus autem disputationis hujus primarius cùm sit labascentem, labefactatam, & abolitam ventriculi functionem (prout dictum in §. 2.) dilucidare, corrigere & præcavere, reliquum erit, ut sine multo verborum apparatu, præternaturalis istius status causas, lucem suam fœnerantes ex antecedentibus, subjunquam.

X I.

Succumbit itaque respectu ciborum ventriculi functio,
 1. si præter consuetudinem nimis fuerint homogenei & simplices; cùm enim hujusmodi ciborum particulæ, latera adinvicem habeant proportionata, necesse est, ut intermedia spatiola parem obseruent proportionem, atque vel rectæ ad invicem respondeant, vel solummodo parum à recta positione deflectant, ita ut unius ad alteram proportionatus situs, satis directum trananti ætheri transitum præbeat, undè patet nullam vim sufficientem, ad ipsius corporis dividendi particulas (utpote in quas non vehementer satis impingunt) in motum vindicandas exerere posse, prout loquitur Guill. Cole. de secret. an. cap. iv. & secundum

dum hoc fundamentum explicanda venit observatio Corn. Stalp. van der Wiel cent. post. 23. cui sexcentas addere possemus (si necessum esset) alias. 2. si nimis crassi fuerint & copiosi , item intempestivè sumpti , tunc enim nulla adest inter dissolvendum & dissolvens proportio.

X I I .

Respectu dentium functio ventriculi labascit , quando vel 1. deficiunt , ut præprimis in edentulis senibus vel infantibus , & nonnunquam etiam aliis in hominibus , quantumvis ætatis consistentis : vel 2. quando nimis festinant , ut in voracibus , vel 3. nimis languescunt , ut in odontalgia , ptyalismo &c.

X I I I .

Ratione laticis salivalis languet chylificatio , quando vel 1. deficit , sive universaliter in sanguine & humoribus , ut post multos sudores , diuresin & ptyalismum frequentem , sive particulariter ab obstructione glandularum rivulorumque salivalium , ut in febribus plerisque , vel 2. quando unius generis particulæ , præprimis narcoticæ , viscosæ , aquosæ & terrestres , in eodem prædominium habent , ut in intemperie salina fixa , pituitosa & melancholica , nec non suctione frequenti tabaci &c. atque tunc ratio deducenda est ex §. II.

X I V .

Ratione aëris debilitatur concoctio , quando vel 1. deficit , ut in tenacibus & durioribus , male fermentato pane , &c. vel 2. quando nimis subtilis est & dissipabilis ut in æstate & regionibus calidis dictis , vel 3. quando nimis crassus est & nebulosus ut in auctumno & vere nec non regionibus frigidis dictis : nec obstat Hippocratis Aph. 15. Sect. 1.

X V .

Posternitur alimentorum fermentatio à parte humoris salino-acidi-aquosi & spirituosi , quando vel 1. unius generis

S D I S P U T A T I O M E D I C A

neris particulæ , præ aliis universale imperium habent , vel 2. quando à fortuita aliqua causa præcipitantur , vel 3. quando sunt nimis crassæ & inertes , ut in scorbuto , cachexia leucophlegmatica &c. vel denique 4. quando deficit propter ductus glandulosos , nervosos & arteriosos capillares obstructos , vomitum diuturnum , cholera , diarræam &c.

X V I .

Viscera ventriculum cingentia , si ratione pororum , tubulorum & cuiusvis generis canalium ab humore aliquo crasso fuerint obstructa , dissolutionem alimentorum impeditunt ; cum enim satis liberum effluvia non reperiant in omnem dimensionem transitum , rem liquidò constare censemus ; hocque etiam obtinet in quacunque ventriculi affectione notabili .

X V I I .

Si quoque ratione officii sui defecerit diaphragma , ut in asthmate , peripneumonia , pleuritide , singultu diutino , suffocatione hypochondriaca &c. non potest non fieri quin ventriculi functio primaria notabilitè succumbat , praeterquam enim quod ventriculus æquè ac aliæ partes solidæ afficiatur ab eadem causa universalی , nimis interrupta est ventriculi contractio , & nullo modo proportionata particularum menstrui actio , item effluviorum in omnem dimensionem transmissio .

X V I I I .

Ratione ætheris quomodo alimentorum dissolutio impeditatur , non opus est ut verbum addam , nam Tiræsiā nisi in philosophicis Lector sit cœcior , catenam cum præcedentibus animadvertet inseparabilem .

X I X .

Plura de causis dyspepsia addere particularia (ut facili-
mè possemus) supervacaneum existimo , præfertim cum brevitati me studere præmonucrim : quapropter me ad functionis ventriculi naturalis succubentis prognosin accingens statuo

I N A U G U R A L I S . 9

statuo 1. quod quò causa ejus fuerit magis universalis & in-veterata, ed pejor sit & difficilior curatu. 2. quod si acidum peccet, prolixius futurum sit medelæ filum. 3. Quod si diu-tius prolongetur, atrophiam, iæterum, scorbutum, hy-dropem, lienteriam, fluxum cœliacum, cardialgiam, al-vum adstrictam, vomitum diuturnum, diarrhaeam, cho-leram, passionem colicam, iliacam, cephalalgiam, palpita-tiones cordis & innumerabilia alia symptomata generare pos-sit, 4. quòd si in ventriculi orificio alterutro scirrus adfuerit (prout in Amphitheatro Leydensi haud ita pridem demon-stratum memini ab incomparabili Professore Nuckio) mor-bus sit incurabilis. Item si aliquid tale obtinuerit in visce-ribus ventriculo vicinis. 5. Quòd pejor sit dyspepsia cum anorexia, quæ appetitu quantumvis extraordinario, præ-sertim in sexu foemino & ætate senili: 6. quod acidus ru-ctus lævitati ventriculi diuturnæ superveniens, bonum præ-beat signum.

X X.

Præcautio ergo, correctio & curatio dyspepsiae à parte ci-borum obtinetur, 1. si sumantur nonnihil diversi, juxta tri-tum illud Belgicum, verandering van spijs, doet uel teeren. 2. Si modicè sumantur & tempestivè, ut proportio observe-tur inter dissolvendum & dissolvens, 3. si nimis crassi & te-naces, ventriculo non committantur.

X X I.

A parte dentium obtinetur præcautio & correctio 1d. si in locum deficientium dentium naturalium, substituantur ar-tificiales. 2. Si mechanicè alimenta prius benè frangantur, terantur, & comminuantur. 3. Si loco crassorum suman-tur liquida. 4. si odontalgia &c. tollantur.

X X I I.

Saliva si deficiat universaliter in sanguine & humoribus, dyspepsia præcavetur per aquosa, ut potum herbæ Thée, Fabarum Coffé, cerevisiam &c. Si autem particulariter ab obstruktione glandularum fontiumque salivalium defecerit,

laudandum est nitrum purificatum , Spir. sal. dulc. &c.

X X I I I.

Aër si fuerit nimis subtilis & dissipabilis , convenient ad dyspepsiam loca umbrosa & subterranea , balneum aquæ dulcis frigidum , inunctiones corporis , panis bis coctus &c. si verò fuerit nimis crassus , convenit hypocaustum calefactum , bonus vestitus , exercitium moderatum , haustus vini generosi , vel aquæ vitæ , s. simplicis , s. compositæ.

X X I V.

Corrigitur & curatur dyspepsia à parte humoris salino-acidi , aquosí & spirituosi , si propinetur in casu salino fixo , acidum aliquod volatile ut crem. & cryst. tart. sal. tart. vitriol. Tachenii , sp. sal. dulc. , succus limon. arant. &c. , in casu autem acido fixo , sal. quoddam respectu corporis nostri volatile , ut cornu cervi rectif. flor. sal. ammon. , tart. , alcahest Glauberi &c. præsertim si nobilitata hæc fuerint l. a. spirituosis oleosis aromaticis : Idem dictum esto de peccante humore crassio viscoso & terrestri ; omnibus autem istis in casibus (nisi notabile fuerit aliud obstaculum) convenient vomitoria tam antimoniana , quam mercurialia & vegetabilia : externè ventriculus foveatur à parte anticâ & postica , vel emplastro de Galbano , vel ammon. myrrha & sim. malaxatis & nobilitatis oleo aliquo aromatico.

X X V.

Si per sympathiam aliarum partium vicinarum dyspepsia fuerit orta , attendendum est ad specificâ & determinatis partibus appropriata , quæ omnia hic recensere velle , idem foret ac Iliada describere post Homerum ; ad nauseam usque , ubique ferè reperiuntur , sed judicio opus est ad eorundem delectum & usum : præprimis commendamus mineralia & metallicâ , modò rite fuerint præparata , constantius enim quam vegetabilia & animalia operantur , diutius in corpore manendo.

X X V I.

Diætæ leges sunt ex antecedentibus manifestæ : nec ubique

I N A U G U R A L I S. II

que locum habet tritum illud, medium tenuere beatitudinē, sed excessus vel defectus in hac aut illa re, nonnaturali dictā, commissus, plus præstat quām magnum medicamentorum molimen.

A N N E X A.

I.

Subtiliorem chyli portionem immediate à ventriculo ad alias partes transferri censemus.

II.

Etiam immediate à lingua & palato aliquid subtilius, ex alimentis manducatis per ductus peculiares auferri ad alias partes, probabile est.

III. Bi-

III.

Bilem per vasa mesaraica transferri ad
venam porta negamus.

IV.

Dari vasa lactea in intestinis crassis, ve-
ro simile est.

V.

Centrum ovale cerebri non est sensorium
commune.

VI.

Aer inspiratus sanguinem rarefacit.

FINIS.